



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

21. Reddite quæ sunt Dei Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

gis professori, integram & puram legis obseruationem negligebant. Totum hoc fictitium & vanum est. Herodiani enim hoc loco dicuntur, qui census seu tributi à Romanis Imperatoribus Iudæis indicti collectores erant; quibus omnibus præfuit Herodes Agrippa, vel tunc à Tiberio constitutus, vel quia eo Consule cum Augusto census iste primum indictus fuit, vt scribit Dio. Herodianorum quidem secta apud Iudæos fuit, qui Herodi aduantes, ipsum esse Christum & Messiam affirmarent, vt videre est apud Iosephum in Antiquitatibus Iudaicis. Sed ad illos quæstio de censu Cæsari soluendo nihil pertinebat: nec Herodiani sed Galilæi erant, alia quædam seditiosa secta, qui sensum Romanis soluendum negabant, de quibus Iosephus lib. citato, cap. 1. Sed istis aperte seditiosis hominibus adiungere se Pharisei, vt Christum tentarent, nec audebant, nec ad rem præsentem faciebat. Isti enim Herodiani censum exigebant: Pharisei non esse dandum musitabant. Vtrique Christum aggrediuntur, vt vel illos offenderet si solutionem negaret, vel populum, qui non libenter soluebat, si solutionem approbaret, quasi rem populo Dei indignam. Sed vtrique satisfacit Christus, Cæsari quod suum, Deo quod Dei erat, reddendum respondens.

Histor. 7.  
Rom. lib.  
48.

Lib. 18.  
cap. 19.  
& 20.

21. *Reddite quæ sunt Dei Deo.*

**E**X his Christi verbis mirabile corollarium infert Calvinus, vt dexteri sunt hæretici (si Scripturas tractandi potestas illis datur, à quo imprimis arceri debebant tanquã hospites

R 2 & adue-



& aduenæ, imò tanquã hostes & aduersarij fidei, iuxta antiquissimi Tertulliani saluberrimas Præscriptiones) ad omnem Scripturam in sensus suis placitis cõgruos detorquendam, & obtorto collo pertrahendã. Ad hæc quippe verba sic scribit Calvinus. *Hoc discrimen tenendum est, quum Dominus ad regendas animas vnicus legislator esse velit* (ecce iam Christus legislator erit, quum id Caluino commodum est, qui suprã ad cap. 5. Matth. fortissimè id negauit) *non aliunde eius colendi petendam esse regulã quã ex ipsius verbo, atque in solo puroque cultu, qui illic præscribitur, manendum.* Hæc ille. Verbi Dei nomine semper Scripturam & scriptũ verbum intelligit Calvinus, licet apertè ita loqui nolit, vt absurda eius doctrina minus lectori pateat, & vt probabilius loqui videatur. At verò in his verbis, *Reddite que sunt Dei Deo*, nec de seipso Christus propriè ac distinctè loquitur, nec de verbo scripto intendit loqui, & omniũ minimè de solo verbo Dei scripto. Christus Iudæis & eorũ præposteræ superstitioni respondit, qui, vt Calvinus ipse hoc loco commemorat, *violari ius Dei et lædi eius cultum existimabãt, si quoad externam politiam Romanis paverent.* Videtur igitur eorum hypocrisim perstringere, ac si dixisset: *Valde solliciti estis si tributum soluatur Romanis, ne quid ex Dei honore decedat.* Atqui potius danda opera est, vt Deo cultum exhibeatis quem à vobis requirit: interea hominibus etiam reddatis quod suum est. Hæc ipse Calvinus. Docet igitur Christus Iudæos his verbis, Deum esse purè ac sincerè colendum, eãque præstanda omnia, quæ ad Dei cultum atque obsequium spectant. Non docet hoc loco vel seipsum esse Deum, vel legislatorem esse animarum, vel ea omnia præstanda quæ ipse docet; multo minus quæ postea in Scripturas Euangelicas vel Apostolicas redigen-

da

Caluini  
contradi-  
ctio.

Solius  
Scripturæ  
pert. ctio  
an po-  
nenda.



da erant. Hæc quidem omnia vera sunt: sed hæc isto loco non docentur. Non esse autem aliunde petendam colendi Dei regulam quam ex solo Dei verbo eoque scripto, nec hîc dicitur, nec ex Christi dictis vlllo modo consequitur. Quæ enim ista tandem consequentia est? *Date Deo que Dei sunt*: Ergo iuxta solas Scripturas diuinas Deus colendus est, non iuxta aliquam doctrinam non scriptam. Planè qualis ista est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: Ergo solus Deus diligendus est, non proximus, non parentes, non quos tibi præfecit Deus. Sicur enim mandatum de diligendo Deo non probat solum Deum esse diligendum, nec excludit dilectionem proximi, quia diligendo proximum ve oportet, Deum quoq; diligimus; & simile est hoc mandatum alteri; sic mandatum de colendo Deo, etiam si intelligatur secundum Scripturas diuinas, non probat secundum solas Scripturas colendum esse Deum, nec excludit traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas non scriptas, quia seruando illas, & colendo Deum iuxta illas, secundum Scripturas Deum colimus, quæ traditiones non scriptas retinendas esse docent ipsæmet, & similis est ratio traditionum Apostolicarum & Ecclesiasticarum, atque Scripturarum, quia in vtrisque Deus loquitur, & vtræque à Deo sunt.

Ita frustra, fraudulenter, & ineptè corollarium hoc & appendicem Christi hoc loco do-

ctrine substernere Calvinus voluit.

(. .)

R. 3 23. In

Calvianæ consequentiæ firmitas.

Calvianæ consequentiæ firmitas.